



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas**

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ Agrippinæ, [ca. 1708]**

XV. Aprilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50961](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50961)



B. Petrus Conzalez Ord. Præd. & Mariæ filius, dum superbè per urbem inequitans ab equo in lutum dejectus fuisset, hæc confusione ad meliorem vitam surrexit, Religionem ingressus, à muliere ad scelus sollicitatus accensâ lignorum strue, pallioq; desuper injecto illæsus decubuit, ac scortum invitavit, quæ rei novitate attonita, resipuit. *Boll.* Satiùs est elementaribus, quàm impuris flammis ardere.

O B. Petre imprime menti meæ stabilem illum peccati omnis horrorem, ut non ignes modò, sed & omnia tormenta inferni pati præeligam, quàm peccare; Impetra mihi hanc à Deipara gratiam, ut priùs atrocissimâ quâlibet morte occumbam, quàm gravi peccato conscientiam contaminem. O sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Hodierni Cæsaris Buzæi, qui vigesies millies rosarium pro beata morte dixit, exemplo rosariolum, 12. stellarum circa caput Deiparæ radiantium numero totidem Ave Maria constans, recitabo.

Certè Domina, cùm te aspicio, nihil nisi misericordiam cerno, nam pro miseris Mater Dei facta es. *S. Bern. ser. 2. sup. Salv. Reg.*

Quæstio: An gratia Prophetiæ fuerit in Deipara, & num aliqua futura prædixerit? *v. Raynan. in Marial. p. 2. pu. 8.*